



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1740. usque ad annum 1742

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1787

VD18 90119649

§. 30. Melchioris Polignaci Cardinalis mors.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67882](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67882)

Sæc. XVIII. die vigesima quinta Septembris natum
A. C. 1741. succumberet anno ætatis sexagesimo
 quarto. Corpus ejus ad Ecclesiam Pa-
 rochiam S. Mariæ in Porticu delatum
 ibique justis funeribus expiatum fuit.

§. XXX.

Melchioris Polignaci Cardinalis

Hoc item anno illustrissimum sacri Co-
 legii sydus occidit Melchior de Pol-
 lignac Cardinalis natione Gallus. Pri-
 mam lucem Podii die undecima Octo-
 bris anno supra millesimum sexcente-
 simo sexagesimo primo aspexit. Geni-
 res ei erant Ludovicus Armandus Vice-
 comes de Polignac Regius Podii Go-
 bernator & Jacobea de Beauvoir Co-
 moard Comitissæ de Roura Filia. Pa-
 tris primum in domo officii Christiani
 hominis & literarum rudimentis sedulo
 imbutus Podio Parisios concessit, ubi
 in Collegio Cleromontano eloquentiæ
 Philosophiæ tam egregiam impendit
 peram, ut eximias naturæ & ingenii
 dotes, judicii acumen, & memoriæ
 citatem in hoc adolescente admirare-
 tur omnes, æquarent pauci admodum
 Adultior factus denuo Philosophiæ &
 Theologiæ scholas aliosque Eruditorum
 præsertim Sorbonicorum conventus
 lenter frequentavit, quorum etiam con-
 siliis se servavit.

Sæc. XVIII.
A.C. 1741.

fortio tam excellentes fecit progressio-
nes, ut publico specimine se non tam
Discipulum, quam utriusque Faculta-
tis Magistrum probaret. Tantæ erudi-
tionis, ac prudentiæ fama doctiorum
hominum applausu divulgata ad ipsas
etiam Regis aures penetravit; quapro-
pter generis nobilitate, comitate mo-
rum, oris majestate, ac incredibili fa-
cundia præditus celeri gressu in publi-
cum Orbis theatrum cum insigni gloria
prodiit: primo igitur nonnisi viginti
octo annos natus Cardinalem Emanue-
lem Borbonium Romam comitatus est,
ac cum eo in S. Comitibus usque ad ele-
ctionem Alexandri VIII. perstitit. Inde
Parisiis redux, prædixit *Boni portus*,
& *Begardi* Abbatia a Rege donatus est,
ac paulopost Legatus ad Sarmatas de-
cretus, Poloni Regis ac præprimis Re-
ginæ omniumque Magnatum benevo-
lentiam & amorem sibi conciliabat.
Mortuo Joanne III. Sobiesckio Vidua
Regina totam suam fiduciam in Polig-
naco reposuit, eumque impensius roga-
vit, ut sua in rebus gerendis dexteri-
tate Procerum animos eo inclinaret,
quatenus primogenitum defuncti Regis
Filius Regno Successorem dare vellent.
Ast illius voto cedere, Legato haud in-
tegram fuit; quippe Franciscum Ludo-
vicum Principem de Conty ad Polonici
sce-

G g 2

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

scepri fastigium promovere, a Regi suo jussus erat; in politicis tamen rebus tam dextere instruxit, ut Regis sui consilia ardentè urgeret, quin Reginae ipsam contradiceret, sed potius frustrati spei culpam in improvidam ipsius Reginae cupiditatem transferret. Eodem eidem Author erat, ut collectos thesauros nullatenus ad solvenda Poloniarum exercitus stipendia, sed Galliarum Regi ad annuos census elocaret. Unde et factum, ut aucto in Sobieskios odio Persecutores Poloni vix non unanimi suffragio in Gallicum Principem Contium conspirarent, quibus etiam Cardinalis Zabiejowskius Regni Primas accesserunt. Quo comperto Regina omnem indignationis suae molem verbis, literis & actibus in Polignacum exoneravit. Hic tamen omnibus prævaluit in hoc Viro perites Gallicas tuendi solers prudentia, et que optime gestæ gloria penes ipsam erat, quod vero successus felicitas non fuerit, id soli fortunæ adversantis iniquitati debebatur. Fama tamen non deerant æmuli, qui a Polignacorem male administratam Regi perfunderent, quocirca e Polonia ad suam *Portus* Abbatiam transmigrare jussus est. Hic vero in adversis constanti

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

non minus, quam in arduis fortitudi-
nem, inque prosperis moderationem
exercere jam dudum assuetus, hanc for-
tunæ vicem æquo tulit animo, omnes-
que horas in pietatis exercitationibus,
ac evolvendis libris suavissime juxta ac
peritissime posuit. Id testatur præcla-
rum illud literarii hujus otii monumen-
tum, seu eruditissimum illud, omnium-
que applausu comprobatum Poema,
quod Polignacus in suo recessu ac soli-
tudine sub titulo: *Anti-Lucretius* contra
veterem Atheistam Lucretium de Deo
& natura sex libris edidit, & post ejus
obitum Rothelinus Abbas anno 1747.
versibus latinis pereleganter evulgavit;
id quoque postmodum in Italicum ac
Germanicum idioma translatum fuit.
Hæc erat Polignaci ab Aulæ strepitu re-
moti jucunda vitæ ratio: brevi tamen
Regum sapientissimus Ludovicus XIV.
senferat, sibi deesse Virum, quo nemo
maxima quævis negotia, quæ publicam
Regni felicitatem concernunt, feliciter
in exterorum Principum aulis conficere
posset. Hunc ergo ad Aulam accersit,
ut rursus, ut antea, regni curis vaca-
ret: paulopost illum in Rotæ Romanæ
Auditorem nominavit, ubi integro trien-
nio in audiendis partibus æquum ani-
mum, in cognoscendis causis ingenii
perspicaciam, atque in dicendis senten-

G g 3

tiis

Sæc. XVIII.
A.C. 1741.

tiis inconcussam præferebat justitiam
quocirca Rex fidelem adeo Administrum
suum Montis Desiderii Prioratu & Va-
tana Abbatia decoravit; demum re-
secunda legatione pro concilianda pace
Gertrudenburgam ad Batavos Oratorum
rem plena agendi facultate instruere
decrevit. Rursus eadem de causa
quenti anno Polignacus Trajectum
Rhenum Legatus cum potestatis ple-
tudine nominabatur: ubi pacis negotia
feliciter confecto Polignacus, cum ce-
rorum Principum Legati in variis gra-
ris oblectamenta diffuerent, rara me-
deratione solo eruditorum communi-
delectabatur. Postquam igitur cum pa-
cis oliva Parisios ingressus fuerat, cum
Gallia in eo rerum statu meliorem
quam pacem exoptare potuisset, hic
cificator Ordinum acclamatione ex-
ptus est, ipse vero Gallicæ Academi-
nomine procuratoris pacis felicitatem
gi Christianissimo eloquentissime gra-
labatur oratione, cujus sparsos flo-
los hic colligere, haud injucundum est.

„Nunquam, aiebat ipse, sine
„gaudio Musæ exultant, quam cum de-
„sitis armis rediviva pax virescit, in-
„dio Martis furore id saltem solati
„feram, quod cogitatione præcipere
„concordiam præ foribus stare, equo-

„nunquam spes pacis major affulget, Sæc. XVIII.
 „quam cum belli flammæ altius corru- A. C. 1741.
 „scant, scilicet ex fractis collisisque nu-
 „bibus major serenitas prodit. Valuit
 „Christianissimus Rex in robur plus-
 „quam Athlanteum, utpote qui Galli-
 „cum Orbem, totius Europæ armis
 „quassatum, intrepide succolavit. nu-
 „tantemque in Maximi Nepotis vertice
 „coronam sua virtute & sapientia con-
 „solidavit. Deus, in cujus manibus ho-
 „minum corda quiescunt, mutatis de-
 „repente in diversum animis, his Eu-
 „ropæ Regibus pacis consilia inspiravit,
 „qui prius præter coacervatas ædes &
 „ardentia Provinciarum busta aliud ni-
 „hil cogitabant. Ea est semperque fuit
 „Gallia, quam hostes in bello formi-
 „dant, amici in pace reverentur &c.“

Nec tam utili operæ defuit grata
 Regis liberalitas; præprimis enim a-
 pud Pontificem summis precibus insta-
 bat, ut Virum in Gallicæ rei emolu-
 menta natum sacrae Purpuræ gloria au-
 geret: nec moratus Pontifex Poligna-
 cum de Ecclesia & Franciæ regno opti-
 me meritum Cardinalem dixit, trans-
 misso per Duardum Abbatem rubro Bi-
 reto, quod ipsemet Rex non modo sa-
 crato vertici imposuit, sed & quatuor
 ditissimis Abbatiis ejus curæ demanda-
 tis

Sæc. XVIII

A. C. 1741.

tis illum Regiæ Musicæ (quæ dignitas nonnisi summis Galliæ Dynastis conferri assuevit) præfecit. Hic substitit fortuna ac Regiæ benevolentia cursus; Aurelianensis enim Dux, qui post Ludovici Regis obitum supremus Regni Reverseratur, Cardinalem exiguo in pretio habuit, quinimo crescente indies æmulationum invidia illum Parisiis excedens & specie exilii in sua Aquiscintii Abbatia subsistere iussit. Hic turbo solitudinis animi æquitatem in Polignaco commovere haud poterat; in se enim fortuna nihil juris esse passus, musas in nova solitudine percoluit, suoque Antiquitatis ultimum admovit manum, & hoc opus additis aliis tribus libris auxit, quod Gallicæ nomanensis ac Burgundus Duces Gallice reddiderunt. Denique celeberrimus huius operis metaphrasin Italicam capitulis hendecasyllabis, iisque soluta uti vocant, confecit Franciscus Marinus Romanus Cassinensis Benedictinus, edititque Veronæ anno 1751. duobus voluminibus minoris formæ. Evolutum in exilii biennio Polignaco serenam auram adspirare videbatur; quippe ad Aulam reverti, novique Regis coronationi, quæ Rhemis peracta est, interesse permissus est, rursusque in Regiam gratiam reductus, arcana Regi negotiorum expedire cæpit. Interim Innocentium XIII.

Sæc. XVIII.
A. C. 1741.

XIII. Papam morte sublatum fuisse nuntiabatur, quocirca Polignacus a ceteris Cardinalibus ad S. Comitia invitatus Romam contendit, ubi regiis apud S. Sedem negotiis præfectus, res Gallicæ Nationis mira prudentia & singulari dexteritate curavit, quamque immoto studio pacem Ecclesiæ & Regno Gallicano reddere adlaboravit, passim in nostra Historia relatum fuit. Porro in rei bene gestæ præmium Auscitanæ Ecclesiæ Archiepiscopus necnon Regii Ordinis S. Spiritus Commendatarius a Rege nominatus est: ac plurimum gratia & auctoritate apud eundem valuit.

Attamen anno hujus sæculi trigésimo peractis pro electione Clementis XII. comitiis biennio post Roma in Gallias reverti jussus, iterum ac tertio a florente gratia ad inclinatam & pene jacentem descivit. Iterata hæc fortunæ perfidia Polignaci constantiam adeo non concussit, ut potius a publicis regni negotiis feriatum tempus ad frequentandos literatorum cætus aliasque eruditæ curas nactum se esse, summopere lætaretur; cumque venerandæ antiquitatis sedulus æque ac felix investigator esset, maximo sibi solatio & jucundo literarii otii pabulo erant rara ex ære & marmore excusa monumenta, quæ

G g 5

Ro-

Sæc. XVIII. Romæ collegerat, ac secum Parisios
 A. C. 1741. advexerat. Palatium suum quoque ex-
 ornabat pluribus signis, numismatibus
 Anaglyphicis, aliisque id generis admi-
 randis, quæ vel ab Ægyptiis, vel
 Romanis artificibus prodierant. Un-
 tanta Viri eruditio, si vel unquam, sple-
 didius in ipsis solitudinis suæ tenentis
 emicuit, adeo, ut scientia, si parum
 certe non superiorem in Galliis illo ævo
 habuisse, palam diceretur; quin
 ille idem, qui Polignacum in politica
 regni ministerio socium habere timuit,
 in Polonicis causis, negotiis, & Eccle-
 siæ Gallicanæ controversiis seposita om-
 ni rivalitate Dictatorem veneratus est.
 Obeunte demum Clemente XII. in
 Purpuratorum Collegio ad proximum
 novi Pontificis electionem invitatus,
 pertinaci tamen studiorum labore, &
 assiduis curis attrita valetudo viresque
 exhaustæ tanti itineris molestias non su-
 rebant; jam enim ab aliquo tempore
 permolesta afflictabatur hydropisi, cuius
 etiam violentia indies ingravescens
 demum die vigesima Novembris anno
 ætatis octogesimo primo Parisiis natum
 debitum reddere coactus est. Causa
 ejus terræ mandatam quiescit in Eccle-
 sia S. Sulpitii. Ceterum Polignacus
 Princeps erat magnanimus, omnigena
 eruditione, morum comitate, pruden-
 tia

tia, rerumque gerendarum dexteritate Sæc. XVIII.
 longe clarissimus. Eminuit in eo stu- A. C. 1741.
 penda memoriæ fidelitas, tantaque in
 dicendo elegantia ac gravitas, ut si ve-
 liorum dictis modeste contradiceret, si ve-
 officiose assentiret, semper loquentes
 ad animi sui sensa raperet: quocirca A-
 lexander VIII. de eo dicere solitus erat,
Polignacus nunquam mihi contradicit, sem-
per meæ accedit opinioni, & tamen sem-
per ejus prævalet sententia; Ludovicus
 vero Galliarum Rex, postquam cum Po-
 lignaco multum sermonis habuerat, ad
 suos familiares dixit: *Egi cum homine,*
& quidem adhuc juvene, qui semper mihi
contradixit, & tamen semper mihi placuit.
 Auscitanam Ecclesiam suam nequidem
 semel invisit, aliis semper gravissimis
 curis præpeditus, quod tamen morti
 proximus vel maxime deploravit,

§. XXXI.

Sueciæ Regis decreta circa Paschatis
aliorumque Festorum celebra-
tionem.

Nota est omnibus ingens illa contro-
 versia, quæ inter Romanam Eccle-
 siam & Ecclesias Asiæ exeunte sæculo
 II. agitata fuerat. Illius occasio erat
 hæc: Romana Ecclesia pro veteri more
 Pascha celebrabat ea Dominica, quæ
 post